

P I S A

1 6 0 8



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Hd. 11.

16



DISPUTATIO II.
 EXERCITATIONVM ETHICARVM
 De
 SVMMO HOMINIS
 BONO CIVILI SEV DE BEATI-
 TVDINE POLITICA

Ex libro primo Ethicorum Nicomachiorum
 potissimum deprompta.

Quam

DEO DVCENTE ET DOCENTE

In illustri Academia VVitebergensi

P R A E S I D E

M. HENRICO VELSTENIO PHILO-
 sophiae Moralis Professore publico,

Defendendam suscipiet

BVRCHARDVS LANGIVS CA-
 lenbergensis. Saxo.

28. Martij horis locog³ consuetis.

VVITEBERGÆ

Typis Mullerianis Anno 1607.



Viris

MAGNIFICIS, REVEREN-
DO PIETATE, DOCTRINA, VIRTUTE
ATQVE AVCTORITATE PRÆSTAN-
TISSIMIS.

DN. POLYCARPO LYSERO S.S. THOLOGIÆ
Doctore excellentissimo & aræ Electoralis Saxonicæ
Antistiti primario dignissimo:

ET

DN. IOHANNI ZANGERO I. V. D. DECRETALI-
um in inclyta Witebergensium Academia Professore Publico,
facultatis Juridicæ Seniori & Ecclesiastici Con-
sistorij Assessori dignissimo:

Nec Non

PRVDENTIA, PRÆCLAROQVE RERVM VSV ET
auctoritate excellentissimis

DN. HERMANO BARTELDES ILLVSTRISSIMI
PRINCIPIS AC DOMINI, DNI. HENRICI IULII POSTVLATI
Episcopi Halberstadensium & Ducis Brunovicensium,
ac Lunæburgensium Quæstori solertissimo.

ET

DN. ERNESTO VVOLTKENIO COENOBII
Wulfing Husani. Præfecto Fidelissimo

*Dominis Mæcenatibus, promotoribus ac patronis suis submissè
colendis, Ethicum hoc exercitium debitæ
observantiæ & gratitudinis
ergo inscribit*

*Burchardus Langius
Respondens.*

Continuatio.



Vod ergo felix & faustum sit, praegresso conflictu Ethices definitionem & divisionem pro virili excussimus: Nunc cum Deo ad primam Ethices partem *εὐδοκίμωνολογία* videlicet, facimus accessum. Hujus enim explicatio magnum ad vitam bene regendam habet momentum: siquidem tūm facile id quod oportet assequemur, si velut sagittarij signum habeamus ad quod collineemus, portum ad quem contendamus, metam in qua conquiescamus. Arist. 1. Eth. cap. 3. longè sanè felicius ac illi, qui nescio quos raptus Enthusiasticos ex spectantes, de suo fine ne tantillum quidem sunt solliciti, sed assident ut rusticus ille Æsopicus, qui ut est apud Horat 1. Epist. 2.

*Exspectat dum defluat amnis: At ille
Labitur & labetur in omne volubilis ævum.*

Coeterum cum duplex sit hominis finis: Theologicus unus, politicus alter: ille quidem frustra expectatur ex Ethicis, quia sacrosancta Theologia, eaq; sola & modum, & medium hujus finis determinat: ad hunc verò etiam Philosophi perigniculos illos in natura adhuc residuos, ut cunq; pertingere potuerunt. De hoc ergo posteriori, sic nobis præeunte Philosopho, & nos hâc vice paucis despicemus.

A 2

THE.

THESIS I.

H St ergo εὐδαιμονολογία prima Ethices pars, quæ agit de summo hominis bono.

II. Hoc summum bonum dicitur alijs εὐζωία alijs εὐτυχία μακαρισμός, & γὰρ δὸν, εὐπραξία εὐδαιμονία.

III. Definitur verò ita à Philosopho εὐδαιμονία ἐστὶν ἐνέργεια τῆς ψυχῆς κατ' ἀρετὴν ἀριστὴν καὶ πλειστάτῳ ἐν βίῳ τελείῳ. Felicitas est operatio animæ rationalis, secundum virtutem optimam & perfectissimam in vita perfecta: i. Ethic. c. 7.

IV. Hanc definitionem rectius intelligemus, si & essentiam summi boni, & eius accidentia paulò accuratius nobiscum expendimus.

V. Essentia indefinitione per genus & differentiam specificam exprimitur. Ex ijs enim definitio constabit, ex quibus essentia rei. Zab. i. post. Cont. 30. At essentia duobus tantum constat, materia & forma. Ergo.

VI. Genus in definitione beatitudinis constituitur ἢ ἐνέργεια, operatio, vel actio. probatur.

1. Deus & natura nihil frustra faciunt, sed omnia compendioso moluntur. Arist: i. de Cælo c. 4. t. 32. Scalig: Exerc: 292 sect. 2. Ergo res omnino omnes ad proprium quoddam opus & certum munus sunt conditæ, in quo earum bonitas & perfectio consistit. Ergo & homo minime omnium esse est generatus, ut somnum dormiat Epimenidis, ut otium agat ignavum, confectetur inertiam, sed ut præclaris & honestis actionibus omne tempus consumat. Arist: l. d. Vnde. Cic: 3. de Nat: Deorum: Omnium aliorum causâ, inquit, sunt, generata: ut fruges atq; fructus, quos terra gignit animantium causâ, ipse autem homo ortus est ad mundum contemplandum & imitandum. Et l. 2. de finibus: ut ad cursum equus, ad arandum bos, ad indagandum canis: Sic homo ad duas res (intelligendum scilicet & agendum) natus est, quasi mortalis Deus 2. Ut in ludis Olympiacis non otiosi speculariores coronâ dabantur, sed qui strenuè & fortiter dimicabant: ita beatitudinis & virtutis olive participes non evadunt, nisi qui bene agendo et atem exigunt. Arist: i. Nicom: c. 8. 3. Si unius cuiusq; membri in homine certa quedam est operatio, quidni absurdissimum longè fuerit dicere hominem ad otium, & non ad certam aliquam operationem esse natum? Atq; oculorum est videre, aurium audire, manuum apprehendere, & omnes partes corporis certæ alicui operationi sunt destinatæ. Ergo & totius hominis erit quedam

qua virtutis operatio. Et propriam quoddam mensuram: quod enim dicitur
singulis virtutibus affirmatur, etiam de toto potest affirmari, et
Nicomachus. 7.

VII. Per actionem autem hic intelligimus non tantum internam, que
anima perficitur, sed et externam illam, ad quam edendam etiam occasione
opus fuerit.

VIII. Hec vero est ea temporis oportunitas, qua adepti virtutum acti-
ones commode possumus edere. 3. Virtus enim est, ut Plautus ait in Perside,
sibi occasio admonet despicere. Sic Apes peragunt opus suum non statis die-
bus, sed quoties Cæli commoditas invitatur: ita suo quoque tempore respicienda est
commoditas. Plin. 11. c. 7: Sic et Morus novissima omnium germinat, et
tamen parit inter primas: ita qui tempus idoneum operantur rei consicien-
da, etiam si serius coeperint, tamen maturius consiciunt Plinius.

Vide apud Aufon: simulachrum occasionis.

2. Huius ad virtutum actiones edendas vis est omnium maxima. Hoc no-
mine sapissime precatus est Lutherus ut sibi vitam et sanguinem pro Evangelij
doctrina liceret profundere. Ita et Alexander etiamnum puer cum pater multa
bella feliciter gereret, id egerrime ferebat, quid enim inquebat, mihi
pater est relicturus, in quo meam hanc animi magnitudinem et presentiam
ostendere queam, si ille omnia in sua potestatem subegerit? vide optima apud
Senecam opera de provid. c. 4.

IX. Et tantum de Genere: Differentia beatitudinis triplex à Phi-
losopho constituitur. 1. quod sit actio animæ rationalis. 2. Secun-
dum virtutem perfectam. 3. in vita perfecta.

1. Actio animæ rationalis est. Quia est actio hominis: ideoque erit vel
corporis, vel animæ. Non corporis: quia hoc cum brutis commune. Atqui neque
sentientis, neque vegetantis animæ est: quia illa cum bestijs: hec cum plantis
communis est. Ergo erit rationalis: Et quidem partis rationalis vel per essen-
tiam, ut mentis et rationis, aut per participationem ut appetitus.

Dicitur vero hic animus agere, seu producere actionem non quod ho-
mo ab actione excludatur, sed ut principalis causa denotetur.

2. Est actio secundum virtutem perfectam. 1. quia felicitas est
actio optima et perfectissima. Ergo non potest non ab optima et perfectissi-
ma causa proficisci: Qualis enim effectus, talis solet esse causa. 2. Hæc dif-
ferentia distinguitur ab omnibus alijs actionibus, que non ex virtute profi-
ciscuntur: id quod Aristoteles exemplo boni et mali Citharædi continne ad-
modum declarat. Videatur Arist. 1. d. Ergo merito beatitudo, que est sum-
mum bonum, non quavis actione, sed ea que ex virtute proficiscitur, est de-
finienda.

finienda: Virtus enim fundamentum est, cui tota beatitudo innititur. Ergo sublato hoc, & ipsa corruet, & collabatur certo certius.

3. In vita perfecta qua & etatem maturam requirit, in qua iudicium sit confirmatum, & temporis diurnitatem. 1. Quia felicitas non quiddam momentaneum, sed actio constans & diuturna esse debet. 2. Quemadmodum una hirundo, aut unus dies non efficit ver: ita etiam una aut altera actio virtutis, aut etiam unus dies bene transactus non facit vitam beatam Arist: 1. Nicom: c. 7. 3. Ut virtus qua est causa felicitatis est habitus constans & diuturnus: ita etiam operatio, in qua felicitas consistit, debet esse diuturna & constans. 4. Hinc rectè Cic: l. 2: de Finibus: Neque in aliqua parte, sed in perpetuitate temporis vita beata duci solet: Neque appellatur omnino vita nisi perfecta & absoluta: Neque potest quisquam esse aliàs beatus, aliàs miser.

X. Sed & de efficiente causa hic non immeritò quaeritur: ubi cum Philosopho ponimus: remotam Deum. 2. Propinquam virtutem. 3. Vnde sponte sequitur, à fortuna felicitatem minimè dependere Arist: 1. Nicom: c. 9.

1. Remota causa Deus est, 1. Deus fons & largitor est etiam minorum bonorum. Ergo & multò magis felicitatis, ut summi boni. Arist. 1. Nicom. c. 9. 2. Quicquid bonorum est optimum id non potest non nisi à solo Deo promanare. Nobilissimus enim effectus nobilissimæ causæ ascribendus. Atqui felicitas omnium bonorum est optimum & præstantissimum. Ergo. Arist: l. d.

2. Propinqua causa virtus: Quia felicitas definitur operatio anime secundum virtutem. Ergo virtus est eius causa efficiens, & quidem proxima: aliàs definitionem eius non ingrederetur.

3. Nunquam etiam & nullo modo felicitas à Fortuna dependere potest. 1. Felicitas est bonum omnium maximum & præstantissimum: At tale bonum quomodo à fortuna dependebit? Nobilissimus effectus non potest adscribi causæ omnium ignobilissimæ. Nobilis quidem causa vilem aliquando producit effectum (Verbi gratia: Sol non tantum producit hominem, sed etiam ramos, pulices & muscas) At tamen præclaræ effecta non possunt non ab eximijs causis proficisci. 2. Felicitas est operatio anime secundum virtutem. Atqui tantum commercij est rationi & virtuti cum fortuna, quantum luci cum tenebris. Arist: l. d. 3. Felicitas est finis practicae philosophiæ. At quodcunq; est finis practicae philosophiæ, id minimè omnium à fortuna potest dependere: Siquidem de illo certa aliqua tradi possunt præcepta as de hac minimè. Arist. l. d. Sic

XI. Sic & subiectum felicitatis quod concernit Aristoteles eos solos felices proclamat, qui secundum virtutes perfecte agunt: Exindeq; neq; in bestias, neq; in pueros cadere statuit. Arist: 1. Nicom: c. 9.

1. In bestias non cadit: Quia felicitas est operatio anime rationalis secundum virtutem. Atqui cum bruta animalia ratione destituantur, non possunt agere secundum virtutem. Arist. 1. d.

2. In pueros non cadit. 1. Quia licet ratione non prorsus destituantur, ut bestia: Tamen propter etatis imbecillitatem carent usu rationis: atq; idcirco non sunt idonei ad virtutum actiones obeundas, ad quas requiritur rectum iudicium, certa voluntas, & firma electio. 2. Sunt adhuc etate imperfecta. Atqui ad felicitatem requiritur perfecta virtus in vita perfecta.

XII. Atq; hæc pro declaratione summi boni ex sententia Aristotelis dicta sufficiant, pro essentia nimirum eius: Nunc ad accidentia deveniendum.

XIII. Accidentia verò summi boni nihil quicquam faciunt ad eius essentiam, (quicquid enim posterius, nihil confert ad essentiam. Scalig: Exerc: 5. sect: 1. Atqui hæc accidentia summo bono sunt posteriora. Ergo.) sed ad existentiam splendorem & ornatum.

XIII. Hæc verò accidentia in duplici sunt differentia: quædam enim sunt primaria, quædam Secundaria.

XV. Primaria sunt animi & corporis.

XVI. Animi, ut bona conscientia, quæ iucundus & pacatus animi status, qui rectè facta comitatur, & consistit in tranquillitate mentis, & lætitia cordis.

1. Conscientiæ magna vis est in utramq; partem, ut neq; timeant qui nihil commiserint: Et pœnam semper ante oculos versari possent, qui peccaverint. Cic: in orat: pro Milon: Testis est Ovidius lib. 5. Fast.

Conscia mens ut cuiq; sua est, ita concipit intra Pectora, pro facto spemq; metumq; suo.

2. Bona quidem conscientia grande est bonum, piorum gaudium, securitatis effectrix, una rerum incommodarum consolatio, & ut Salamon prov: 15. dicit: Secura mens quasi iuge convivium. Vnde Bias interrogatus, quanam res in vita metu careret? Respondit: Bona conscientia. Et Socrates querenti, qui nam tranquille viuerent? respondit: illi qui nullius absurditatis sibi sunt consci. Et Periander interrogatus, quid in minimo esset maximum, oportune respondit: Bona mens in corpore sano Scilicet.

hic

hic murus ahencus esto

Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa (Horat. l. 3. Epist. 1)

3. Econtra mala conscientia est mater formidinis, & codex in quo quotidiana peccata scribuntur. Chrysof. in Psal. 50. nec ulla poena grauior est, inquit Isidorus, quam poena conscientiae. Nunquam securus est reus animus: mens enim mala conscientiae proprijs agitur stimulis lib. 2.

Et quidem tam longè acrior est sensus doloris ex mala conscientia què oritur, quam ut verbis exprimi possit: acerbior quam ut tollerari queat, illisq; magis torqueantur & excarnificentur homines improbi, quam si vel torrantur in tauro Phalaridis, vel in Niobteantis mortario contundantur. Atq; hæc animorum tormenta si tollere volueris nihilo plus ages, quam si metum cervis, venenum anguibus, timiditatem leporibus velis subtrahere. Et quid multis præ se ferant hi homines, quibus hic vultur conscientiae securus immortale rodet, faciem quandoq; hilarem & letam: At qui interim non absimiles sunt statuis, quæ foris auro obductæ, intus araneis & inaniis oppiuntur: Neq; absimiles pomis, quæ specie pulcherrima nascuntur ad mare mortuum, si verò aperiantur, summum exhalant & in cinerem ac pulverem fatiscunt. Neq; enim fieri potest ut is qui in vitis & deliciis versatus, & jactatus fuerit, verè letari possit: Malorum enim animus à seipso dissidet, secumq; discordat 9. Eth. c. 4. Scilicet:

fataliter angor.

Omne nefas sequitur, nec habet mens conscia pacem.

Et bene. Iuvenalis Satyra 13.

Exemplo quodcumq; malo committitur, ipsi

Displicet auctori. Prima est hæc ultio, quod se

Iudice, nemo nocens absolvitur, improba quamvis

Gratia fallacis prætoris viceretur in ara.

Item: Cor. 13. Cur etiam hos tu

Evasisse putes: quos dixi / conscia facti

Mens habet attonitos, & surdo verberare cædit

Occultum quatiante animo tortore flagellum.

Poena autem vehemens, ac multo sævior illis,

Quas & Cædit jus gravis invenit, aut Rhadamantus,

Nocteq; dieq; suum gestare in pectore testem.

Cor.

XVII. Corporis bonum est sanitas, Arist: l. 10. Nicom. c. 8.
Oportet ut & corpus valeat, & alimentum & cetera obsequia suppetant. Ergo orandum ut sit mens sana in corpore sano.

XVIII. Secundaria bona tantum in externis bonis consistunt: Suntq; bona fama, tum rerum aliarum sufficientia.

XIX. Bona fama est honesta aliorum de nobis propter virtutem opinio.

1. Hec partim est bonum οἰκῆον, partim ἀλλότριον: quâ de re alibi monebimus.

2. Hanc Aristot. l. 1. Rethor ad Theodocten c. 5. inter felicitatis partes recenset. Plutarchus item in præceptis reipub. gerendæ docet præclaræ existimationem tendentibus ad rempub. esse ventum secundum: neq; gloriam contemnendam: cum nec canum saluatio, nec equorum benevolentia à venatoribus & equitibus negligatur, & cum apibus illis melius agatur, quæ curationes admittunt, non abigunt. Proinde negligere quid se quisq; sentiat, non solum arrogantis est; sed & hominis dissoluti. Cic. 2. off.

3. Hæc non acquirenda nisi veræ & sinceræ virtutis studio, quæ ut corpus umbram, sic illa gloriam habet pedisequam. Sapienter enim Argefilaus roganti, quidnam sibi agendum esset, ut nominis immortalitatem consequi posset? respondit, eam acquiri, si quis & optima dicat, & honesta faciat. idem hoc eleganter monet Epictetus: Si bene vis audire, discito bene loqui: Et cum loqui didiceris rectè facere conator: hoc enim modo bona fama acquiritur. Heraclitus hanc compendiarium viam ad gloriam esse dicebat, si quis bonus esse studeret: Socrates verò, si quis id ageret, qualis haberivellet.

XX. In rerum aliarum sufficientia in primis occurrunt opes & amici.

XXI. Opes sunt nervi rerum gerendarum, uti Bion Philosophus censebat, id quod non ineleganter expressit Petronius:

Quidvis nummis præsentibus opta:

Eveniet. Clausum possidet arca Jovem.

Scilicet. Est mundus pelagus: regina pecunia regnat.

Navigat infelix, qui caret huius ope.

1. Opum non tam πτησιν, quam χερσιν respicimus. Isoc. ad Demon: Bonorum non abundantem & copiosam possessionem expetas, sed modicum potius earum fructum. Eos contemne: qui student diuitijs, uti vero ijs cum sint affecuti, nesciunt. Accidit enim his quod ei qui pulchrum equum alit, cum equitare nesciat.

B

2. Opes

2. Opes quidem in se consideratae simpliciter sunt bonae, sed non huic vel illi semper. Arist. 5. Ethic. c. 1. Apud sapientem enim divitiae in servitute sunt, apud stultum in imperio: Sapiens divitias nihil permittit, nobis divitiae omnia, ut ait Seneca Epist. 5. Bono ergo viro divitiae sunt ornamento, qui ad beneficentiam & liberalitatem eas confert: Malis autem detrimento, quia effectrices sunt multorum & magnorum malorum, ut non inepte de hisce Terentius dixerit:

Quid reliqui est, quin habeat
quae quidem in homine dicuntur bona?

Parentes, patriam incolumem, amicos
Gentes, cognatos, divitias.

Atque haec perinde sunt, ut illius animus,
qui illa possidet:

Qui uti scit, ei bona: illi qui non
utitur recte, mala.

XX. His quodammodo indiget beatus: Non quidem, ratione essentiae, ut infra ostendetur, sed tantum ratione existentiae, ἀδύνατον γὰρ ἢ οὐ γάρδιον τὰ καλὰ πρᾶττεν ἄχρηστῶν ὄντων. Arist. 1. Nic. c. 8. Quemadmodum enim formosa mulier si ornatus accedat longe formosior apparebit: Sin autem desit, aut sordibus oblineatur, minus formosa videbitur: ita quoque beatus virtute primum maxime nititur, eam tamen exornant bona caetera, & maxime promovent. Bene ergo Omnis antiqua Philosophia sensit in una virtute positam esse vitam beatam: neotamen beatissimam, nisi adjungamus bona corporis, caetera ad usum virtutis idonea, Cic. 1. Acad. quaest.

XXI. Amici sunt illi, quibus cum nobis conversandum est, quibus si careamus virtutis usus non potest esse usque adeo illustris. Omnium enim inquit Cic. 1. de Finibus, quae ad beatam vivendum natura paravit, nihil est majus amicitia, nihil uberius nihil jucundius: cum solitudo sit vita sine amicis insidiarum ac metus plena, ratio ipsa movet amicitias comparare, quibus partim conservatur animus & a spe potiendarum voluptatum sejungi non potest. Et in Lelio: Cui potest esse vita vitalem, qui non in amicitia mutua benevolentiam acquiescat & quid dulcius, quam habere, qui cum omnia audeas loqui ut tecum? quis esset tantus fructus prosperis in rebus, nisi haberes, qui illis aequè ac tu gauderes? adversas vero ferre difficile esset, sine eo, qui illas, gravius etiam quam tu, ferret. Sed de amicitia & amicis cum peculiaris nobis futura sit disputatio, nihil attinet de hisce hoc in loco agere prolixius. Iam manum de tabula.

Quae

QVÆSTIO I.

An in Ethicis à beatitudine, ut fine sic
auspicandum?

In hujus problematis decisione si qui à nobis dissenserint (dissentire autem scio haut paucos) ijs non magis succensebimus, quam si alij alius delectentur, alij alius condimentis capiantur. Nos cum Philosopho affirmativam vobimur. 1. Quia Ethica est è disciplinis practicis. Atqui hæc ordinem analyticum sibi vendicant. Zab. l. 3. de Meth. 2. Quod creat cognitionem sequentium distinctam, ab eo incipiendum est Zab. l. 2. Apolog. c. 2. Atqui finis ponit distinctam cognitionem mediorum, quæ media sunt: Est enim horum causa. Zab. l. 2. de Specie: Demonst. c. ult. At omnis causa in suo genere parit distinctam cognitionem sui effectus Zab. l. 4: de metho c. 10. 3. De principiis prius agendum quam de principiatis: quia principia, quatenus sunt principia, natura priora sunt compositis & effectis. Atqui finis in practicis habet rationem principij: quia ante omnem actionem præluet instar lucis orientis. Et nisi præcognoscatur, nulla eorum quæ ad finem ducunt, cognitio haberi potest. Pendet enim cognitio mediorum à cognitione finis. Quocirca sicut iter ingressurus de certa meta cogitat, ut ad eam media itinera dirigat: ita in actionibus humanis primò finis intueendus. 4. idem probari potest auctoritate ferè omnium, qui Ethicam tradiderunt. Interim prolixè largimur, non esse absolutæ necessitatis, hoc duntaxat modo Ethicam docere: Siquidem salvâ hæc doctrinâ, salvo modo procedendi, salva deniq; re ipsa, ab ipsa virtute sumi potest auspiciam. Neq; enim doctrina ordinis, imponit necessitatem hoc vel illud hac ratione disponendi, & docendi: Instrumentum enim est. Atqui nulli instrumento est potestas in rem, sed tota ejus qui tractat, quiq; instrumento utitur. Videatur Piccol. in com. Polit. pag. 56.

QVÆSTIO II.

Sitne aliquis ultimus finis actionum
humanarum?

Aimus cum Philosopho. 1. Quia illud in re qualibet est ultimum & summum in quo oportet consistere, & ultra quod non possumus progredi. Rectè enim Cic. l. 1. de Fin. quærimus, inquit, hic quid extremum, quid ultimum bonorum, quod omnium Philosophorum senten-

B a

senten-

sententia tale esse debet, ut ad id omnia referri oporteat, ipsum
 autem nusquam. Atqui res omnes humanae habent aliquem finem, quem
 propter se expetunt, reliquos autem omnes propter illum. Arist. 1. Ni-
 com. c. 2. 2. Nisi talis aliquis finis esset, appetitus humanus in
 infinitum progrediretur, semper unum propter aliud expetendo, atque
 sic redderetur irritus atque vanus: Siquidem nihil haberet in quo conquiesceret,
 & per consequens videretur homini frustra à natura esse datus.
 At absurdum hoc posterius: Quia δ θεός ἡγῆ φύσις οὐδέν μᾶλλον ποιεῖσιν.
 1. de Caelo c. 31. Et quicquid natura facit, compendio facit, ni-
 hil frustra molitur. Scalig. Exerc. 297. f. 2. Sapientissimum enim
 quod est, nihil temerè, nihil frustra, nihil ex superfluo moli-
 tur. Scalig. Exerc. 61. f. 1. At natura est quiddam sapientissimum.
 Scalig. Exerc. 77. f. 2. 3. Sicut in moventibus per se ordinatis, quorum
 unum ab alio pendet in causando non datur processus in infinitum, sed ne-
 cessariò est deveniendum ad aliquod primum, alioquin non esse motus: ita
 in finibus consistendum est in aliquo ultimo, quod sit primum movens fini-
 liter, aliter nulla esset appetitio. Thomas 1. 2. q. 1. a. 5. 4. quicquid ho-
 mo appetit, sub ratione boni appetit. Atqui ejusmodi bonum aut est
 omninò perfectum, atque ita est ultimus finis: vel non est omninò perfectum sicque
 appetitur in ordine ad perfectum: Omne enim imperfectum tam in
 naturalibus, quam arte factis est inchoatio perfecti: Siquidem sem-
 per inchoatio alicujus ordinatur ad consummationem alicujus. Thomas ut &
 D. D. Connimb. l. d. 5. ut secundae cause non movent aut quicquam agunt,
 nisi concurrente ac movente prima: Piccol. in introd. ph. moral. cap. 16.
 ex Arist. 1. 8. Phys. c. 6. ita nec secundaria appetibilia movent appetitum,
 nisi in ordine ad primum appetibile, quod est ultimus finis. Thomas l. d.

De Cætero, ut eorum quæ in contrariam sententiam
 quidem afferri possunt, expeditior sit solutio, notandum: 1. Ut
 in causis efficientibus: ita & in finibus non essentialiter subordi-
 natis, non in commodum est dari processum in infinitum: Ex
 quo tamen non sequitur, illam appetitionum infinitatem non
 tendere in summum bonum, quatenus bona particularia, in quæ
 fertur, sunt participationes summi boni. D. D. Connimb. l. d.
 2. Quòdcunq; particulare bonum appetitur, appetitur saltem,
 ut bonum appetentis, & per consequens propter ultimum fi-
 nem. C. j. tanus in hunc locum Thomæ, 3. Non necessum est, ut
 semper

semper aliquis cogitet de ultimo fine, quodocunq; aliquid appetit vel operatur: Sed virtus primæ intentionis, quæ est respectu ultimi finis, manet in quolibet appetitu cujuscunq; rei, etiam si de ultimo fine actu non cogitetur: Sicut non oportet, quod qui videt per viam, in quolibet passu cogitet de fine 4. Tametsi est unus ultimus finis formaliter omnium hominum, multiplicantur tamen ea, quæ per varia studia homines ut ultimos fines assequi conantur. Et tantum de hac quæstione.

QVÆSTIO III.

Cum ergo detur aliquis ultimus & extremus finis quæritur, an ne huius finis cognitio sit necessaria?

Et hic cum Philosopho. 1 Ethic. c. 3. affirmativè procedimus. 1. Quia hæc doctrina practica est, h. e. referenda est ad actionem. Atque finis in omni actione præcipuè consideratur, utpote à quo actio ipsa informatur, estimatur, & denominatur. 2. Finis in rebus agendis habet rationem principij. 6. Ethic. c. 5. *Uti enim in disciplinis se habent principia: Sic se in operationibus habet finis.* 3. Ultimi huius finis cognitio magnum habet momentum ad vitam rectè instituendam. Quæadmodum enim sagittarij signum ad collineandum propositum defixis oculis intuiti certius sagittas ad illud dirigunt: Ita cognitio sine ultimo rerum agendarum, rectius omnes nostras actiones ad illum dirigere poterimus. Arist. 1. Nicom. c. 2. 4. Finis sui amore ac desiderio efficientem ad agendum impellit, quatenus ab eo ut bonum appetitur. Non potest autem appeti ut bonum, nisi cognoscatur: Quod enim latet, ignotum est, ignoti nulla cupido. 5. Finis ipsis medijs conciliat amorem & amabilitatem. Quis enim ægrotorum appeteret potionem amarâ vel acerbam à medico propinatam, nisi sanitas intentâ tanquam finis illam amabilem redderet? Quis Christianorum eo posset adduci ut carnem suam cum concupiscentijs illis crucifigeret, seu ut toti mundo, eiusq; pravis cupiditatibus valediceret, nisi æternæ salutis ac beatitudinis amore & desiderio ad id alliceretur. Martyr in Ethic: Arist. l. 1. c. 1. Timplerus in Meta. l. 3. c. 2. q. 36. Sic & ab hac sententia ipse sacrae litera nil quicquam abhorrent, quando & ipse de ultimo fine Theologico cogitandum esse subinde præcipiunt.

QVÆSTIO IV.

An bonum rectè definiatur, quod omnia appetunt?

Hanc quidem veterum boni definitionem adfert Arist. 1. Nicom. c. 1. Nos distinctè quæstionem hanc putamus esse determinandam. Quando enim bonum consideratur ex ratione sua formali tunc significat relationem convenientem, & tum sic rectè definiatur: Quod cuiq; conveniens est: Bonum enim est objectum appetitus, & unum quodq; eatenus appetitur, quatenus conveniens est, vel conveniens esse putatur, atq; hanc convenientem sequitur appetibilitas, ut propria affectio habens se ad bonum, ut ad colorem visibilitas. Quemadmodum enim objectum visus non est visibile, nisi ratione coloris: ita objectum appetitus & voluntatis non est appetibile, nisi ratione boni. Ut itaq; color est causa visibilitatis, ita bonitas est causa appetibilitatis. Unde rectè Thomas inquit: Nihil aliud in bono invenitur quod causa appetibilitatis esse possit, quam convenientia. Quatenus verò bonum consideratur ratione proprietatum, quæ ipsum consequuntur, quarum una est appetibilitas, ibi rectè bonum antiqui descriperunt, id quod ab omnibus est appetibile, seu quod omnia appetunt, licet hæc definitio non sit à priori, sed à posteriori, ut Thomas annotavit. Colleg. Connimb. d. q. 2.

QVÆSTIO V.

An omnia bonum appetant: Et quomodo hæc cum sacris conveniat?

1. Omnia bonum appetere affirmamus cum Philosopho 1. Nicom. c. 1. Quia 1. $\omega\acute{\alpha}\sigma\alpha\ \tau\acute{\epsilon}\chi\nu\alpha\ \eta\gamma\eta\ \omega\acute{\alpha}\sigma\alpha\ \mu\acute{\epsilon}\theta\delta\omicron\varsigma$, $\epsilon\mu\acute{\omicron}\iota\omega\varsigma\ \delta\epsilon\ \pi\acute{\rho}\alpha\gamma\eta\varsigma\ \tau\epsilon\ \eta\gamma\eta\ \pi\acute{\rho}\alpha\gamma\eta\sigma\iota\varsigma$, $\&\ \gamma\alpha\ \delta\epsilon\ \tau\iota\omega\varsigma\ \epsilon\pi\iota\theta\epsilon\tau\alpha\ \delta\omicron\upsilon\kappa\epsilon$. Aristot. lib. d. 36.
2. Res humanæ omnes ad finem aliquem respiciunt. Ergo & bonum expetunt. Bonum enim & finis sunt $\epsilon\upsilon\tau\iota\sigma\phi\omicron\alpha$, & inter se convertuntur. Omnis enim finis quatenus est finis, rationem aliquam boni habet: Et omne bonum, quatenus bonum, habet rationem finis. Aristot. 1. Rhet. cap. 5. 3. Res qualibet sui conservationem, & sic bonum expetit. 4. Qualibet

Qualibet res ad perfectionem suam aspirat. Ergo appetit. Sed perfectio non est nisi bona, cum malum non sit nisi destructio naturae. Scalig. Exer. 102. §. 6. 5. ut intellectus non assentitur nisi quod ipsi tanquam verum offertur. Nec dissensum exhibet, nisi ei quod ipsi representatur tanquam falsum: ita voluntas nihil ampleditur nisi quod ei tanquam bonum obijcitur: nec repudiat nisi id, quod ipsi proponitur sub specie mali. 6. Pates hoc ex contrario, cum id quod malum est non appetamus, sed fugiamus. 7. Hinc gravissimè Seneca inquit l. 4. de off. Nemo est à naturæ lege adeò alienus, ut malum nisi sub specie aliqua boni possit appetere. Et Cic. 4. Tusc. Naturâ omnes, quæ bona videntur, sequuntur, fugiuntq; contraria: Quamobrem simul atq; objecta est aliqua species cuiuspiam, quod bonum videatur, ad id adipiscendum impellit ipsa natura.

Ubi tamen duo obstat videntur. 1. quod homines sæpe improbi mala eligant, & suscipiant. Exempli gratia: Fure eligit furtum, latro homicidium, adulter adulterium, heluo ebrietatem. 2. Viri etiam boni sæpè numero ex duobus malis eligunt, quod minus est. Ex quibus conficitur hominem non semper boni gratiâ agere, neq; omnem negotiorum dirigi ad bonum aliquod certum. Verum ad utrumq; hoc objectum expedita est responsio. Quo ad primum enim, distinguendum inter bonam, verum, & apparens, quod quidem videtur bonum, cum tamen non sit. Proinde licet adulterium, scortatio, furtum &c. non sint revera bona, sed mala: tamen iis, à quibus hæc eliguntur, non videntur esse mala: sed bona, & sic hæc successu specie boni decipiuntur. Rectè enim Arist. 2. Phys. c. 3. inquit: in iis, quæ appetimus, nihil refert an ea bona sint, an bona tantum appareant. Atq; hinc nonnulli hæc incommodè distinguunt, inter appetibile & appeti. Licet enim omne bonum sit appetibile: omne malum inappetibile: tamen inde non sequitur, omne bonum semper appeti & omne malum semper respui, cum fieri possit, ut homo ex voluntatis arbitrio malum quandoq; appetat, & bonum aversetur.

Quo ad secundum verò responder Aristot. 1. Rhet. & Sumptionem seu electionem minoris mali esse pro maiore eligere bonum quoddam. Idcirco etiam si inter homines nonnulli eligant ea, quæ revera sunt mala.

la: tamen id faciunt ad maiora mala vitanda. Et sic inter plura mala, ea quae minus sunt mala, rationem aliquam boni habent.

ii. Omnia verò bona appetere cum sacris ita convenit. 1. Artes & doctrinae per se quidem atque sive ingenio bonum appetunt, sed tamen per accidens in peccatum & malum possunt cedere his, qui non sunt in Christo Iesu: Et propterea saepius fit, ut hominibus ab artibus & scientiis longè instructissimis salutis mysteria abscondantur, & rudioribus pateant, iuxta illud Matt. II. v. 25. Abscondisti haec à sapientibus, & revelasti ea parvulis: Et I. Cor. I. v. 25. Videte vocationem vestram fratres, quoniam non multos sapientes, sed stulta mundi elegit Deus, ut pudeat faciat sapientes. 2. Quoad actiones & electiones testatur liber Geneseos, cor hominis pronum esse ad malitiam, idque à prima pueritia. Gene: 8. v. 21. Et Paulus dicit Rom: 7: Scio quod non habitet in me, h. e. in carne mea bonum. Quare omnium non renatorum delectus & actiones ad ea tantum prona sunt quae prava, turpia, iniusta sunt, & legi divinae quam maxime repugnant: Siquidem etiam ipsi renati ferè perpetuo vel nolentes rapiuntur ad peccata, & illa praecipites expetunt: verum per gratiam & Spiritum Sanctum desiderijs illis adversantur, ut denique per Christum victores efficiantur. 3. Reliquae creaturae bonum expetunt, quia reguntur divinis legibus, & non aliter agunt quam prout à lege divina ducuntur: Quamvis & ipsa propter hominis peccatum vanitati cogantur subijci.

QVÆSTIO VI.

Quoniam appetitu omnia bonum appetant?

Praemittimus hic duplicem esse appetitum: innatum & Elicitum: innatus est, quorum quodque ad id quod sibi conveniens est inclinatur. Estque triplex. 1. Naturalis: quo res absque nulla notitia inclinatur ad id, quod sibi conveniens. 2. est Sensitivus: in quo fit inclinatio praecunte notitia sensus. 3. Intellectualis: in quo fit inclinatio praecunte notitia intellectus. Elicitus verò appetitus dicitur appetendi actus, quo quis potentiam praecunte cognitione fertur in suum obiectum. Scal. Exerc. 307. Huiusmodi est amor, desiderium, spes: alicuique id genus animae affectiones quibus res ab intellectu, vel à sensu monstratas prosequimur. Iam ad propositum dubium respondemus, quemlibet ex hisce appetituum secundum naturam suam ferri in bonum. Etiam si nec eodem pacto omnes, nec in cunctis rebus omnes insint. Colleg. Connimb. disp. 1. q. 1. a. 2. Nam

Nam ea quæ cognitione carent appetitum naturalem dumtaxat secuta sunt; bruta naturalem & sensitivum, homines naturalem, sensitivum, & intellectualem. Idcirco minimè nos movet, quod nonnulli dictitant, nullibi concedendum esse appetitum ubi notitia defuerit. Res enim iste, quæ saltem à naturâ moventur, & in quibus nulla notitia reperitur, in finem suum tendunt à Deo impulse, tanquam primo motore, eo, modo, quo sagitta fertur in scopum à jaculatore directâ. Quemadmodum enim sagitta ad scopum attingendum impetum recipit ab eo, à quo mittitur: ita agentia naturalia consequuntur propensionem ad suos fines à Deo, à quo formas & virtutem ad proprios motus obtinendos sortiuntur. 2. Hinc Arist. 1. Phys. dicere non veretur materiâ, quæ alioquin rudis & stupida est, non secus appetere formam, sicut femina marem. 3. Sic in Sole & Luna est appetitus, qui non regitur naturæ notitia interna, sed notitia Dei, qui naturæ dux & imperator est, 4. Spectat huc effectum illud sapientum: Opus naturæ est opus intelligentiæ. Dum enim natura in opus suum incumbit, à primâ summâq; intelligentiâ, nempe Deo, dirigitur & movetur ad finem suum. Unde & natura à Philosophis sagax, sapiens, provida, solers, erudita perhibetur, non quidem in se, sed non à se, sed per aliud. Eleganter ergo, ut omnia Iustus Lipsius in Epistolis posterioribus. Nonne, inquit, agunt singula, atq; etiam inanimata spectant & tangunt certum aliquem scopum? Atqui nesciunt illum, nec à se eligunt. Tangunt igitur aliquo dirigente, qui sciat, eligatq; ut sagitta sponte ad scopum pervenit, oculus est qui collineat, manus quæ impellit: Sic in istis & ductorem & directorem habent quem nisi Deum? Martyr in Eth. p. 73. Gocl. in Controv. Logicis p. 41. 75. Timpl. in Metaph. lib. 3. cap. 2. q. 30.

QVÆSTIO VII.

Quomodo consentiat cum pietate Christiana quod Arist. 1. Nicom. c. 2. dicit: Opera præstantiora esse operatione: item: Fines Architectonicos minus principales & subordinatos sub se continere?

Ad utrumq; respondemus distinctè. 1. Opera esse præstantiora operatione, illud in Christianorum finibus locum minimè meretur. Cum enim aliquis charitate adductus pauperem vestivit, cibavit, sanavit, docuit, post actum relinquit opus nempe vestitum, alimentum, sanitatem, At verò hoc in operationum genere actio quæ præcedit, nempe obedientia

C

erga

erga Deum, & usus charitatis longè magis placet Deo, & plurimè etiam estimanda, quam dicta ista opera post actum remanentia, cum ea sint caduca & peritura. 3. Quemadmodum secundùm Arist: fines architectonici minus principales & subordinatos sub se continent, ijsq; præstantiores sunt: ita & Christianorùm fines principales, minus principales sub se continenti, ijsq; sunt præstantiores. Sic prioris tabulæ Decalogi maior est dignitas, & finis nobilior quam secunda: Quia circa Deum absque ullo medio versatur, & ceu ἑσχίτερονικὴν posteriorem tabulam sub se complectitur, aded ut posterioris tabulæ finis regatur & gubernetur à priori.

Atque exinde Megalander Lutherus noster in explicatio-
ne Catechismi finem prioris tabulæ prudentissimè repetit in
singulo quoque præcepto posterioris. E. g. Debemus Deum amare
& diligere: Idcirco parentes honorare: Non occidere: Non adulterium
committere &c. Martyr. in 1. Nicom. c. 1.

QVÆSTIO VIII.

Quomodo felicitas cum Finis sit, etiam princi-
pium dici possit?

Ratio dubitandi: quia principium differt à fine, ut oppositum
ab opposito, ut extremum ab extremo, ut stadij carceres à meta. Arist. 1.
Nicom. c. 4. Pro decisione ergo tenendum, felicitatem princi-
pium dici quatenus animum efficientis incitat ad agendum: Finem
verò quatenus efficiens bonum optatum persequens cum jam
adipiscitur, in eo acquiescit. Sic enim actio efficientis ibi terminatur,
unde suum primum initium sumit: Et virtutes Practicæ pendent ex felici-
tate ut ex fine, & in eam ut summum bonum feruntur. Sic in architectatio-
ne domus hoc in primis spectatur ut septi munitique simus ab iniurijs Cœli,
quod ut obtineamus, cogitamus de tecto, de parietibus, de fundamentis.
In hoc discursu ipsum bonum, quod finis est, primum est: postea verò si res-
pectum mutes, & des operam ut hoc bonum adipisci possis, tunc primum est fun-
damentum iacere, proximum parietes, tandemq; etiam tectum superstrue-
re, quibus perfectis tuto habitare potes. Ex quo fit ut quod antea fuit princi-
pium, modo convertatur in extremum. Martyr. in 1. L. Nicom: cap. 4.
Gocl: in Cont: Log. p. 42.

QVÆST.

QVÆSTIO. IX.

Vnde tot de Summo bono opiniones ex-
stiterint?

Cicero l. 5. de Finib. l. 4. Acad. Quæst. testatur de nulla quæstione maiorem fuisse inter homines dissensionem, quam de ea qua queritur, quænam res sit summum hominis bonum. Quod ad id verum est, ut August. l. 19. de civitate Dei scribat, Varronem annotasse, quod suo tempore circiter 288. opiniones philosophorum de summo bono extiterint. Causam huius diversitatis Aristoteles ponit diversitatem generum vitæ 1. Nicom. c. 5. Præ cæteris verò tria genera philosophus recenset, *μάλιστα προσέχοντα* quibus & quartum subiungit.

1. *ἀπολαυστικόν*, voluptuarium, delicatum & molle, videlicet eorum qui in voluptate omne suæ beatitudinis punctum ponunt, qui ventrem pro Deo habent, & in cute curandâ unice sunt occupati. Hosce vocat Aristoteles. 1. *φορτικοὺς* homines molestos, & importunos: Si quidem inutilia sunt terra pondera, qui tanquam fuci aliorum labores consumunt, Sponsi Penelopes, & fruges consumere nati. 2. *ἀνδραποδῶδες* i. e. mancipio similes, quia totos suis cupiditatibus sese mancipant.

2. *πολιτικόν ἢ ἢ πρακτικόν* Civile & actuosum: videlicet eorum qui laude & gloria ducuntur, atque ut hanc assequantur in iuvanda & conservanda societate, & Reipub. negotijs administrandis omne studium collocant. Ideo *χαρῖεντες*, quasi gratiosi, elegantes & politi dicuntur.

3. *θεωρητικόν* contemplativum, seu speculativum: videlicet eorum qui in contemplatione & cognitione rerum versantur.

4. *χρημαστικόν ἢ φιλόκεδος*, Quæstuosum, videlicet eorum qui divitijs corradendis occupantur. Atque hæc quatuor vitæ genera ut diversos fines sibi habent propositos: ita etiam habent diversas de summo bono opiniones. Sequuntur autem homines diversa vitæ genera. 1. Quia multi sequuntur corporis temperamentum, & tum se oppidò beatos arbitrantur, cum ea obtinuerint, ad quæ naturali quodam impetu concitantur. 2. Alij educatione adducuntur, ut hoc aut illud maximoperè cupiant assequi. 3. Non rarerit fit, ut homines eorum similes evadant, quibus cum conversantur. 4. Alij denique sola auctoritate impelluntur, ut hoc vel illud vitæ genus sequantur. Quod enim faciunt viri principes, & quorum auctoritas plurimum valet, id bona pars hominum suscipere & admirari solet. At quæ hæc quidem causæ sunt, sed non satis iustæ & prægnantes: quia non auctoritate, non exemplis, non impetu corporei temperamenti, sed rationis ac mentis

dicatū, rerumq; ipsarum pondere honestum & maximè laudabile vitæ ge-
nus eligere debemus. Martyr.

QVÆSTIO X.

An ergo summum bonum positum sit 1. neq; in
voluptate, 2. neq; in honore, 3. neq; in divitiis, 4.
neq; in virtutis habitu, 5. neq; in Idæis
Platonicis?

Affirmamus cum Philosopho l. 1. Nicom. c. 5.

1. Non enim positum est in voluptate. Quis enim fieri potest, ut
Sardanapalus omnium libidinum ac voluptatum charybdis, felix eva-
dat? Si enim voluptas nihil aliud est, quàm esca serpentis, sicut a virtu-
tis, spuma & sperma veneris, sentina & tæda omnis turpitudinis, com-
munis quasi pestis nobis cum beluis: quis fieri potest, ut sit proprius suis, ac
summum hominis bonum? Casus in Spec. l. 1. c. 4. & 5. Tibi ergo, cum
sive Deus sive mater rerum omnium natura dederit animum, quo nihil est
præstantius, neq; divinius, sic te ipse abijcies ac prosternes, ut nihil inter
te atq; quadrupedem interesse putes? Cic. 1. Parad.

2. Non in honore. 1. Honor magis est in honorante, quam
honorato. Honor enim in honorante est, tanquam in materia
per essentiam & subjective: per causam verò & objective est in hono-
rato. Atqui summum bonum est proprium ejus, cui inest, nec potest
ab eo auferri. 2. Honor non propter se, sed propter virtutem expetitur.
Gaudent honorari viri civiles, ἵνα πιστεύωσιν ἑαυτοῖς ἀγαθὸς εἶναι,
ut inde confirment conscientiam propriæ virtutis, ejusdemq; testimonium
aliquod habeant. Atqui summum bonum per se expetitur.

3. Non in divitiis. 1. Nulla in eis constantia: Fortuna enim cum
maximè splendet, frangitur: adeo ut omnes, cum secundæ res sunt maxi-
mæ, tum maximè meditari secum oporteat, quo pacto adversam ærum-
nam ferant. Salust. Et bene Horat. 2. Epist. 2.

Non proprium quidquam, puncto quod mobilis horæ,
Nunc prece, nunc pretio, nunc vi, nunc sorte suprema
Permutet dominos, & cedat in altera jura.

2. Malè iis uti possumus: Est enim pecunia idolorum servitus, cum
ei reliqua post habentur, nempe pietas, & sanctum. Vives introd. ad
Sap.

Multis

3. Multū perniciem, omnibus penè periculum creant. Ita Midas impetrat ut quicquid tangeret in aurum mutaretur, fame tandem exesus miserimè periit. Atq; ista jam siti aestuant plurimi, qui aureum Nilum somniantes, pro auro & argento, quæ sunt nihil aliud quam natura stercorea in omnem scopulum rapiuntur. Casus l. d. Nec aurum si non utare à Cœnodiffert, nisi quod angit magis ejus custodia, & efficit, ut dum vni studeas ea negligas, quæ homini maximè sunt curanda Lud. Vives l. d. Ergo ——— Iustissimus esse

Qui cupit exiguas semper habebit opes.

4. Ut plurimum vi & iniurijs aliorum parantur. Vnde ab Arist. l. d. violentæ appellantur. Et rectè Virgilius de Thracum rege.

———— Polydorum obruncat, & auro
Vi patitur.

Quid non mortalia pectora cogis.

Auri sacra fames.

5. Divitiæ nunquam per se expetuntur, sed propter usum quem habent in vita humana. Divitiæ enim, inquit, Vives, & possessiones tantum in usum parantur, quem non adiuvant immense opes, sed opprimunt, ut navem ingentia onera. Et bene Cic. 1. off. Divitiæ expetuntur tum ad usus vitæ necessarios, tum ad persruendas voluptates, tum propter gratificandi studium & magnificos apparatus, vitæ cultus cum elegantia & copia.

Et hinc Poeta.

Quid mihi divitiæ profunt, si dempseris usum?

Quamvis largus opum, semper egenus ero.

4. Non in virtute, pro ut virtus habitualiter sumitur. Etsi enim virtus sit preciosior auro, & post funera vivat: Tamen si illam in habitu, non in actu: Si in quiete, non in motu: Si deniq; in sinu & non in manu teneas, certè ut parum prodest alijs ad exemplum ita sibi deest ad nomen beatitudinis aucupandum. Casus l. d. Arist. l. d. Quo accedunt & aliæ rationes. 1. Quia actio & usus virtutis præstantior est, quam virtutis habitus & possessio. Habitus enim est propter actionem, & possessio est propter usum. 2. Ex actione virtutis semper aliquid boni promanat, ex habitu verò non semper: Siquidem etiam ille in dormiente esse potest, & alio quodam homine otioso: ἐν ἐξ ἡγεῖα verò minime. 3. Per habitum virtutis non possumus fieri participes bonorum quæ sunt in vita, sed per virtutis actionem: Non secus ac in Olympiacis certaminibus corona dabatur non pulcherrimis, aut robustissimis sed illis qui & certabant, & certando vincebant 1. Nicom. c. 8.

§ 3

Non

5. Non in idea Platonica. Si enim ideam Boni plato vocavit formam quandam bonorum omnium communem & universalem per se alicubi existentem (uti Aristoteles voluit) sive ea detur sive non detur (nostrum enim illud non est inquirere) manifestum est tamen in eius contemplatione bonum practicum , quod quærimus collocandum non esse. Si verò Ideam boni in ipso Deo seu mente tanquam exemplar quoddam æternum, ea quod omnia condita sint bona, residere existimavit : Et in eius contemplatione summum bonum ponendum censuit , (ut Acciaolo & alijs placet quàm plurimis) piè id quidem. Veruntamen cum nos practicum , quodq; nostro possit acquiri studio, quæramus bonum : Idea verò contemplatio nec in agendo posita sit nec nostris viribus acquiri possit; cum humanum Dei cognitio captum superet, non immeritò ei Platonis in hoc reijcimus sententiam.

QVÆSTIO XI.

An bona externa requirantur ad summum bonum?

Pro affirmativa hæ rationes poterant militare.

1. Quia bona externa sunt organa & instrumenta sine quibus actiones virtutum non possunt exerceri. 1. Nicom. c. 8. *Quemadmodum enim faber operari nequit, nisi instrumenta habeat commoda: Ita qui commodis instrumentis destituitur nunquam bene aget. v. g. Ad actiones fortitudinis requiritur robur corporis, sanitas, arma, & id genus alia instrumenta. Ad liberalitatem requiruntur opes & facultates, sine quibus liberalis suam virtutem erga alios exercere non potest.* 2. Absentia bonorum externorum felicitatem obscurat. Ergò eorundem presentia felicitatem faciet splendidior. Arist. 1. Nicom. 8. 3. Plurimi, ut Aristoteles l. d. testatur, *ἑὺδαμονίῳ & εὐτυχεῖν* eodem loco habuerunt: Siquidem hæc duo ita inter se videntur coniuncta, ut unum absq; altero esse non possit. 4. Paupertas non parva est ægrotudo, quam non aliter ac gravem & difficilem morbum liberis tradere reformidamus. 5. Ipse regum sapientissimus Salomon etiam externorum bonorum sufficientiam à Deo petere non dubitavit: *Neq; pauperiem mihi, neque divitias dederis: Pascere me meo stato victu: ne aut satiatas ingratus sim, aut egens furer.* Prov. 30. Et bene Aug. ad Prob. scribit: *Sufficientiam vitæ non indecenter vult, quisquis eam vult & non amplius: Quandoquidem non appetitur nisi propter salutem corporis, & congruentem habitum personæ hominis.*

Negativa

Negativa similiter auctorem habet Aristotelem i. Nicom.
cap. 7. ubi docet εὐδοκίαν esse bonum αὐτάρκειαν, esse perfectum, esse
seipso contentum, & nullius rei indigere. Bona enim sunt duplicia:
Quaedam talia sunt, ut aliorum bonorum accessione possint fieri meliora,
& magis expetenda. v. g. Nobilitas bonum est, sin verò ad eam accedat vir-
tus & doctrina, tunc nobilitas est magis expetenda.

Quaedam verò bona sunt, quae nec maiora, nec meliora fieri pos-
sunt, etiamsi alia his annumerentur. Cuiusmodi bonum in primis est Deus:
Et secundo loco beatitudo.

Pro decisione notandum, felicitatem dupliciter esse confi-
derandam. 1. Ratione Essentiae, ut actio immanens, & ad ha-
bentem refertur. 2. Ratione existentiae, ut est actio transiens, &
ad alios refertur. Priori modo felicitas in sola virtutis actione
consistit, & bonis hisce externis nil quicquam indiget. 1. Quia
bona ista externa sunt. At nullum externum potest esse de rei essentia: Si-
quidem haec tantum est à causis internis. Scal. Exer. 25. f. 4. Exer. 307. f. 27.
2. Non perficiunt essentialiter felicitatem, à qua etiam abesse pos-
sunt. At qui verò illud est de rei essentia, quod eam essentialiter perficit.
Et quod non potest abesse à re, cuius est essentia. Scal. Exerc. 5. f. 5. Exerc.
78. f. 2.

Bene ergo Stilpo: Captà patriam, amissis liberis, amissà uxore, cum ex
incendio publico solus, & tamen beatus exiret, interroganti Demetrio, nun-
quid omnia perdidisset? respondit: Nihil perdidit: Omnia mea mecum sunt:
Iustitia, virtus, prudentia. Atque sic nihil bonum putare potuit, quod eripi
posset. Posteriore verò modo, omnino felicitas hisce indigere vi-
detur, praesertim si usum ipsum spectemus: id quod volunt ar-
gumenta in affirmativam sententiam adducta. Acciaolus i. Ni-
com. c. 8. D. D. Connimb. disp. 3. q. 4. a. 2. Piccol. grad. 9. c. 14.
Martyr in i. Nicom. c. 8. Casus i. Ethic. quaest. c. 8.

QVAESTIO XII.

An idem Aristoteles de felicitate statuerit?

Buridanus & alij nonnulli affingunt Aristoteli hanc sententiam quasi
statuerit felicitatem absq̃ bonis externis omnino non posse consistere: Et sic
Aristoteli-

Aristotelicam felicitatem esse nullam, & in natura nusquam & nullibi reperiri. Qui enim, inquiunt, fieri poterit, ut in pusillo homine omnia tam animi quam corporis & fortuna bona conglobentur? Et hanc Aristotelis sententiam fuisse probant. 1. Ex 1. Nicom. c. 8. Vbi inquit Aristoteles: Neque enim ad beatitudinem plane aptus est is, qui omnino deformis sit, aut ignobilis, aut vitam in solitudine degat, aut sit sine liberis. Ac multo minus forsitan, si cui sunt liberi improbissimi, vel amici boni & vita excesserunt.

2. Idem probant ex sequenti nono capite, ubi Aristoteles negat, quenquam, qui moriens inciderit in Priami calamitates, esse beatum licet per totam ante actam vitam fuerit beatissimus. Cæterum hanc interpretationem menti Aristotelis esse omnino contrariam. 1. patet ex 1. Nicom. c. 8. Vbi expresse scribit, animi bona solum ad felicitatem esse necessaria, reliqua ut ornamenta requiri. 2. in capite 10. sequitur, Externa bona sublata labefactare quidem felicitatem, sed non tollere & delere: quia tunc inquit, maxime splendescit felix, cum maximas ærumnas, ac Tragædias fortune perferat. 3. Quia in calce eiusdem capituli, felicem definit, qui est undique quadratus. Pro responsione ergo ad argumenta negantia notandum, 1. Verba capituli octavi cum reliquis locis esse conferenda. 2. Negat Aristoteles quenquam esse beatum si in Priami calamitates incidat. 1. Quatenus Priami calamitates intelliguntur, quæ sunt cum mortali pravitate coniunctæ. In quas sane qui incidit, minime beatus est censendus Riccobonus. 2. Quatenus hæc calamitates non forti & generoso animo perferat, & in extrema fortuna patientiæ clypeum abijciat. Casus. 3. Quatenus hic intelligitur felicitas activa civilis, quæ in luce Reipublicæ versatur, & ut dictum est præced. quæst. quæ omnino bona externa requirit tanquam instrumenta ad defendendam Rempublicam, ad bene felicitatem exercendam, ad propulsandas injurias, & alia munera & munia subeunda.

QVÆSTIO XIII.

Nu m etiam homo hac in vita possit esse beatus?

Aimus cum Philosopho. Posita enim causa absoluta, etiam effectus ponendus est. Atqui causa absoluta felicitatis politica est actio virtutis. Ergo. Quia de viro bono dum vivit, affirmari potest, quod vivat & agat secundum virtutem, recte etiam felix & beatus dicitur. per-

Pernegant multi. 1. Quia quotusquique hominum est, qui continuas virtutum actiones edat? Atqui beatitudo est actio secundum virtutem: adeoque, ut neget Aristoteles veteres recte statuisse, felicitatem in habitu virtutis, & non in actione. 2. Quia non semper ad bene, & praeclare agendum sese offert occasio, cujus vis ad exercendas & demonstrandas virtutum actiones est longe maxima. Quomodo enim alteri constare potest, te fortem esse, temperantem, liberalem, si harum virtutum declarandarum desit occasio. 3. Nemo est qui nusquam impingat, nusquam exorbitet, & à regia virtutis via non quandoque deflectat — Scilicet
—————
in multis labimur omnes

—————
Nec pallas in omnibus horis
Astat, & incensis accommodat aurea frena.

IV. Accedit huc fortunæ inconstantia, quæ cum maximè splendet frangitur. Et nescis, quid serus vesper vebat: Nec sol omnium dierum occidit, ut rectè Solon Cræso, interroganti, utrum ipsum beatum judicaret, responderit.

—————
Ultima semper
Expectanda dies homini est: dicique beatus
Ante obitum nemo supremaque funera debet.

Hæc & id genus alia pro negante sententia quidem adduci possunt: Nos ad pauciora quæ rem acu quasi tangere videntur, strictim respondemus.

I. Virtus aliquando quiescit & consilescit, non otii, non desidiæ causa, sed ut majori quadam alacritate ad officium redeat. Quemadmodum enim longius profiliunt isti, qui paulatim progressi, spiritum recolligunt: ita & nos fervidiores ad virtutum actiones redimus, si quiescere nonnunquam liceat.

II. Quo ad alterum. Liberalis non est, qui semper manum in crumena habet: Non fortis, qui semper gladium stringit &c. sed qui facit hæc omnia quoties opus est, & commode fieri potest. 2. Vir bonus & beatus nunquam fertit, nunquam est otiosus, sed & erga seipsum vel alios virtute utitur. 3. Licet una quandoque virtus operetur, reliquæ tamen omnes stant in procinctu, sui quod est officii si liceat, factura.

III. Quo ad tertium, hominis vita, in qua virtus rerum potitur, licet navulis quibusdam & labeculis conflitetur, nihil ominis tamen beata dici potest & debet. 1. Ex potiori fit denominatio, & ex maxima parte de toto judicandum est. Piccol. grad. 8. c. 6. 2. Sic & seges spiciuberibus & crebris plena & beata predicatur, licet avenam uspiam videris.

Videris. Cic. 5. de Finibus. 3. imò & mercatura quaestiuosa habetur, quantumlibet in magnis lucris nonnihil damni contraxeris. 4. Deniq; fortuna quaecunq; tandem sit facies, sive auster, sive blanda: Nunquam tamen felicitatem potest invertere, modo quis secundum virtutis normam continenter agat. 1. Quia vir bonus nullo etiam truculentioris fortunae impetu subverti potest, sed est similis corpori quadrato, quod ut facile moveri nequit, ita quocunq; etiam volutatum fuerit, basin tamen firmam obtinet. Vide optima apud Arist. 1. Nicom. c. 10. 2. Quin imò virtus in rebus adversis multò est illustrior, quam in prosperis. 1. Nicom. c. 3. Non secus atq; flamma quae noctu apparet, multò est lucidior, quam quae interdum conspicitur. Quia tum virtus maximè habet quod agat & in quod agat & in quo vim suam explicet & exsequatur. Qui enim quaso fortitudo suo officio defungetur, pericula nisi ingruant? Qui mansuetudo, nisi mala adsint?

Marcet sine adversario virtus, Seneca inquit. Tunc apparet quanta sit, quantum valeat, polleatq; cum quid sit, patientia ostendit. Lib. de provid. c. 2. Bene ergo Lipsius l. 1. de Constant. c. 8. ut aromata longè latèq; odorem emittunt, si teras: Sic virtutis fama diffunditur, si premas. Et Ovid. 1. Trist.

*Scilicet adversis probitas exercita rebus,
Tristi materiam tempore laudis habet
Si nihil infausi durus vidisset Ulyses,
Penelopes felix, sed sine laude foret.*

Et alibi.

*Quae latet, inq; bonis cessat non cognita rebus
Apparet virtus, arguiturq; malis.*

QVAESTIO XIV.

Conscientiae proprium iudicium quomodo Externæ famæ præferendum?

Publicæ famæ magna quidem habenda ratio. I. Quia fama & vita pari passu ambulant: Et omnium calculo crudelis censetur, famam

tiam qui negligit. 2. Hinc Socrates suum hortatur Demonicum
εὐλαβῆσαι τὰς διαβολὰς ἢ τὸν ψευδῆ ὄσιν. δι γὰρ πολλοὶ τὴν ἀλί-
δειαν ἀγνοοῦσι, πρὸς δὲ τὴν δόξαν ἀποβλέπουσιν: Fuge etiam falsas
criminationes: Quia vulgus ex veritate pauca, ex opinione multa aestimat,
ait Cic. pro Q. Roscio. Et nostri dicunt: **Man siehet einen lüg-
ner so tieff in den hals/ als einen Warhafftigen:** 3. ipse Cic.
3. oft. Nullam rem tanti, aut ullum commodum tam esse expetendum
asserit, ut viri boni & splendorem & nomen amittamus. Et in Lælio:
Nec negligenda est fama, nec mediocre telum ad res gerendas existimare
oportet benevolentiam civium. Quin imò & Seneca l. 3. de benef. c.
17. gravissimè attestatur, nullum supplicium gravius esse publico odio.
Quin ergo nos hic cum Poeta.

Omnia si perdas famam servare memento:

Hac semel amissa, postea nullus eris.

Interim tamen publicæ famæ proprium conscientiæ judi-
cium multis nominibus præferendum esse non abs re censemus.

1. Quia vir bonus, teste Poeta.

Judex ipse sui totum se explorat ad unguem

Quid proceres, vaniq; ferat, quid opinio vulgi

Securus. 2 Nequaquam in nostra potestate situm est, quid de
nobis quisq; sentiat aut loquatur. Non ergo tam id pensi habeamus, quod
ominino penes nos non est, quin potius tales nos geramus, qui nulla in re
merito possint unquam accusari. Regium enim est, ut Alexander
Magnus quondam dicebat, benefacere, & male audire. 3. Quia
verè dictum ab Ovidio 4 Fastor.

Conscia mens recti famæ mendacia ridet.

Nam qui conscientia rectè voluntatis innititur, vix nihil certè calum-
niarum turbines, aut maledictorum procellas pertimescit, sed illud ex En-
nio ipse tacitus secum frequenter insusurrat.

Dum clavum rectum teneam, navimq; gubernem

Dicat quisq; deme quid voluerit.

Pro decisione notandum dictum illud Augustini: Duæ
res sunt, conscientia, & fama. Conscientia necessaria est tibi, fama
proximo. Propter nos conscientia nostra sufficit nobis: propter

vos fama nostra non pollui sed pollere debet in vobis. Proinde quisquis à criminibus flagitiorum atq; facinorum vitam suam custodit, sibi benefacit: Quisquis autem etiam famam, in alios misericors est. Qui autem fidens conscientiae suae famam suam negligit, crudelis est. Nobis enim necessaria est vita nostra, aliis fama nostra.

QVÆSTIO XV.

An res posterorum secundæ & adversæ etiam ad defunctos pertineant, & quomodo?

Affirmativæ patrocinator Philosophus 1. Nic. c. 11. 1. Quia negare posterorum fortunam tam secundam quam adversam ad defunctos nihil pertinere est omnino & φίλον & alienam ab eo amore, quo dum adhuc viverent, inter se erant conjuncti. Verorum enim amicorum est mutuis commodis & incommodis affici. Atqui hæc συμπαθεια non est in corpore quod moritur, sed in animo, qui plane non interit. Ideoq; verisimile omnino hunc affectum omnino remanere in demortuorum æternitate. 2. Commune omnium hominum testimonium hoc convin- cit: Siquidem omnes homines communiter credunt, etiam demortuos habere aliquam intelligentiam eorum, quæ in his terris sunt. Exinde enatae sunt Poëtarum fabulæ, sæpius manes & umbras demortuorum apparuisse ipsis vivis, eosq; de eorum calamitatibus, & futuris malis præmonuisse. quemadmodum Virg. l. 6. Æneid. fingit Anchisen apparuisse Æneæ, & monuisse ne in Africa maneret, sed Italiam peteret. Hinc Plato in Epistola ad Dionys. sic inquit: Hæc omnia eo consilio dixi, ut significem minime futurum, ut cum mortui fuerimus, homines de nobis conticescant. Ac proinde minime committendum est, ut eorum quæ posteri de nobis dicturi sunt, curam abijciamus. Futuri enim temporis cura omnino gerenda est. Omnino nature quadam depravatione ignavissimi quicq; & profligatissimi ingenij homines, nullam ejus curam ad se pertinere censent: Optimus autem quicq; ita vitam suam instituit, ut felicem laudabilemq; sui memoriam ad posteros transmittat. Unde ergo certo argumento colligo, in ipsis etiam mortuis rerum nostrarum quendam sensum esse. Optimi enim animi rem ita se habere divina quadam vi præsagiunt: improbißimi nequaquam.

quam. Firmiora autem & efficaciora divinorum hominum, quam ceterorum presagia. Imò non tantum hæc apud Ethnicos, sed etiam apud Christianos in Papatu iam per aliquot secula opinio invaluit de apparitionibus animarum, quæ à viventibus petierunt liberari de purgatorio: Quin & reliqua etiam figmenta de sanctorum invocatione: de missis, vigilijs, alijsq; Ceremonijs quæ in defunctorum gratiam peraguntur hoc putido nituntur fundamento. 3. Quia si ei qui adhuc vivit, non tamen sentit, aliquid & bonum est & malum, videtur quoq; esse & mortuo. δὸκῆ γὰρ, inquit Arist. εἰ τὸ τε δνεῶν καὶ κακόν, καὶ ἀγαθόν ἐῖπες καὶ ζῶντι.

4. Quia si à defunctis ad posteros mali vel boni quicquam redire poterit, honorari enim quit filius ob indolem & virtutem parentum. Quidnì igitur ad defunctos à posteris? Par enim utrobiz ratio.

Negativam tuetur. 1. Ipsa scriptura sacra, quæ negat mortuos habere sensum eorum, quæ hic in terris geruntur. Esa. 63. Abraham nescivit nos, & Israel ignoravit nos: tu Domine pater noster, Redemptor noster à seculo nomen tuum. Sic in 4. Reg. 22. dicit Dominus de Iosia: Colligam te ad Patres tuos, ut non videant oculi tui omnia mala, quæ introducturus sum super locum istum. 2. Purior doctrina nostrarum Ecclesiarum: quæ ex hoc fundamento Papisticam sanctorum invocationem impugnat, quia videlicet sancti postquam ex hac vita discesserunt, quia nobiscum agatur, non usq; adeò habent perspectum. 3. Auctoritas nonnullorum, qui asserunt tantam cœlestis gaudij abundantiam piorum animos esse repleturos, ut huius vitæ, aut eorum quæ hic in terris fiunt, nullam penitus notitiam sint habituri. 4. Quia etiam ista notitia, quæ beatæ mentes sciunt suos amicos & cognatos malè habere, illorum felicitatem esset labefactura.

Pro decisione notentur hæc theoremata.

1. Res secundas posterorum ita ad defunctos pertinere secundum Aristotelem: ut illorum quidem felicitatem si adsit illustrare, sed non possint ex miseris beatos efficere: Et contra, res adversas obscurare quidem mortuorum felicitatem si adsit, sed non ex beatis miseros efficere. Ex qua philosophi assertione patet, Papistas nostras, qui animas in purgatorio degentes volunt actionibus vivorum liberari, ita ut ex gravissimis poenis atque supplicijs ad summam requiem, & optatissimam beatitudinem transeant, non modo divinarum literarum oraculis, verum etiam auctoritate Aristotelis gravissimè presni posse.

2. Notitiam istam, quam demortui adhuc habent de rebus posterorum saltem esse generalem & confusam: non verò esse distinctam

unctam & specialem. Quæ verò Romanenses nostri hic de relationibus angelorum, & speculo Trinitatis, de discrimine sanctorum Veteris & N. T. pro stabilendis suis commentis asserunt, illa omnia in ipso disputationis conflictu sine negotio in fumos dissipabimus.

3. Amicitiam esse animæ non separatæ, sed corpori conjunctæ: Sic non tam inter animam & animam, quàm hominem & hominem esse: Et sic per Consequens, ubi homo esse desijt, ibi nec propriè amicitiaè amplius locum esse.

4. Beatitudinem istam summam Cœlestis vitæ nequaquam istam confusam notitiam obliterare. 1. Quia inde consequens foret, Deum etiam, qui beatissimus est, & nunquam interitura voluptate frui- tur, nullam rerum humanarum curam habere. Quod verò si impium est, quid impedit, mentes quoque piorum beatas esse, & notitiam nihilominus retinere eorum, quæ hic in terris cognita & perspecta habuerunt? 2. Sic Martyres in Apocal. 6. c. contra persecutores suos ad Dominum clamant: *Vlciscere sanguinem nostrum.* Si ergo sancti contra inimicos Deum invocant, quantò magis amicorum recordabuntur? 3. Sic & damnatus Epulo etiam in inferno Lazarum agnoscit, & fratrum suorum recordatur. Vide Zuing. in præfat. in Ethicam Arist. 4. Notitiam, quam beatæ mentes adhuc retinent, quaq; suos malè habere sciunt, nequaquam illorum felicitatem labefactare. 1. Quia piorum voluntas per omnia conformis est divina. 2. Non amplius durabunt affectus carnales presentis vitæ, sed cognitio iustitiæ Dei omnem affectum naturalem longè superabit. Vide Zuing. l. d.

QVÆSTIO XVI.

An beatitudo sit bonum honorabile: an verò laudabile: an intermedium?

Arist. 1. Nicom. c. 12. Et l. 1. Magn. Moral. ponit tria bonorum genera. 1. τιμίᾳ & γὰρ δὲ, quæ honore digna sunt: Cuiusmodi sunt Deus, animus, mens, & omnia divina bona. 2. ἐπαινετὰ & γὰρ δὲ laudabilia bona, quæ laudantur propter utilitatem, tanquam habent ad maius aliquod bonum comparandum. Ita viri us laudatur propter felicitatem, quæ per eam comparatur. 3. οὐδὲ περὶ & γὰρ δὲ, neutra seu intermedia quæ per se neque laudem, neque honorem merentur, sed eatenus talia sunt, quatenus homines illis vel benè, vel malè utuntur.

Talia

Talia sunt *δυνάμεις* i. e. facultates & omnia fortune bona, quibus vel rectè vel malè uti possumus. Ergo & ipsa beatitudine ad aliquod horum bonorum referri necessum est. Atqui felicitas Non est ex postremo hoc bonorum genere. 1. Quia felicitas est *εὐδαιμονία*. 2. Nemo felicitate suâ abuti potest ad suam & aliorum perniciem, sed semper prodest possessori. Atqui facultates eiusmodi sunt, ut iuvent interdum, interdum etiam noceant, & tam benè quàm malè homines ijs utantur. 1. Felicitas non est è numero eorum bonorum quæ *ἐπαίματα* dicuntur. 1. Quicquid laudatur, ob eam causam laudatur, quod certâ aliquâ qualitate affectum sit, & ad aliquid referatur. v. g. Virum iustum, probum, fortem, & deniq; ipsam virtutem propter opera & actiones laudamus. Atqui summum bonum non est eius generis, sed planè diversum quid, ad quod alia quidem referuntur, ipsum verò tanquam eminentissimum in suo genere ad nullum aliud. Ergo. 2. Encomia longè minora sunt & exiliora, quam ut huic bono rectè convenire queant. Pertinent enim propriè ad opera & facta præclara à virtutibus & habitibus tam animæ, quam corporis profecta, quæ & ipsa ad aliud, nempe ad felicitatem referuntur.

Relinquitur ergo beatitudinem inter honorabilia bona omninò habendum esse, cum sit principium & causa bonorum, non autem causa quacumq;, sed finis quem Aristoteles causam causarum pronuntiavit. Et tantum de summo bono ex 1. libro Ethicorum Nicomachicorum.

FINIS.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

FINIS



Fc 1249.
gn


ULB Halle 3
003 422 747



Bitte noch kein
Sammelbd. verwenden
nach Ausleihe
an Retro-Ecke
OK
Zurück!

VD 17







6

PVTATIO II.

TIONVM ETHICARVM

De

O HOMINIS

ILI SEV DE BEATI-

NE POLITICA

o Ethicorum Nicomachiorum

simum deprompta.

Quam

ENTE ET DOCENTE

Academia VVitebergensi

Æ S I D E

VELSTENIO PHILO-

oralis Professore publico,

ndendam suscipiet

VS LANGIVS CA-

bergensis. Saxo.

ij horis locoq; consuetis.

ITEBERGÆ

llerianis Anno 1607.